Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis Diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 15. Martii 1685.

M. JOANNE BAPTISTA MOREAU, Doctore Medico Profeſſore Regio, & Sereniſſimæ DELPHINÆ Medico Primario, Præſide.

An Vrbs Regia Verſaliarum ſalubris?

VERSALIÆ, nova urbs, Ludovici Magni opus & delitiæ, ut magnificentiâ apud omnes commendabilis, ſic à nonnullis inſalubritatis accuſatur, injuſto titulo : urbs Regis ipſius domum & urbem ipſam incolarum ſedem complectitur; diverſus eſt utriuſque ſitus, nullus inſalubris: Regia domus eum habet poſitum, qui amœniſſimus ſit & ſaluberrimus: nullum ſimilem alibi reperias. Collis molliter aſſurgit, illa velut magiſtra, aliis ad juſtam & æqualem altitudinem juſtámque diſtantiam, monticulis, velut coronâ quadam circumcincta, medio ſe conſpiciendam facit loco; in ejus ſuperatæ planitie, tantum fuit ſpatii, quantum ſatis Regi potentiſſimo & magnificentiſſimo ad Palatium ſibi apparandum, cui nullum aliud par, ut ipſe eſt ſine pari : diceres omnia artis & naturæ pretioſiſſima quæque ornamenta eò confluxiſſe, ſeu ædificiorum ordinem & modum, ſeu conclavium elegantiam, multitudinem & commoditatem, ſeu picturæ, ſculpturæ, operis muſivi & vermiculati lepores & divitias expendere detur; in eo plus omnium generum marmoris reperias quam uſquam alibi; auri in cruſtationes exterius, ſi ſpectantium oculos movent ad illicium, interius laquearium nobiliſſimæ & artificioſiſſimæ exornationes ad ſtuporem animum percellunt; quid de aureâ, argenteâ & quâvis non aliâ divite & pretioſa ſupellectile, antiqui & novi operis, dictu opus eſt? quid de viridariis gratè ridentibus in quibus ſalientium aquarum mille luſus: tantum iſtud eſt veri, ut, ſi domus hæc ſuo ſitu ſit unicè conſpicua, cætera ad ſitum ita reſpondere videntur, ut magno & ſapientiſſimo Rege digna putaretur, ni ipſe omni re eſſet ſuperior.

QUALIS eſt aër, talis eſt loci cujuſque ſalubritas; poſitus iſte domus regiæ, nullo commemoratorum monticulorum aut viciniorum aut proceriorum objectu diſturbatus, aërem liquidum & purum, nullaque caliginoſorum vaporum malignitate inquinatum excipit; & quamvis omnibus ex æquò ventis obnoxius eſſe poſſit, Septentrionales, aëris ſcopas, & Orientales ſaluberrimos potiſſimum admittit; laudantur urbes quæ Solis naſcentis radiis expoſitæ, ad Septentrionem leviter potius inclinant quam ad Meridiem : atque ille ipſe eſt domus regiæ ſalutaris poſitus, Lutetiam urbium Reginam reſpiciens, qui effecit huc uſque ut Rex maximus, Regiaque Familia, inculpatâ gaudeant valetudine, quæ in ſede fœlici diuturna ſit futura; Urbs autem incolarum multitudine & commeantium hominum crebritate conſpicua, etſi in decliviori loco ſedeat, haud abſimiles aëris laudabilis dotes experitur; undique cùm ſit perflabilis, nullas occiduorum aut meridionalium ventorum patitur læſiones : non ea eſt monticulorum ſatis diſſitorum altitudo quæ illam faciat πνιγηρὴν, aut illam ponat ἐν τῷ κοίλῳ; eodem ac domus Regia ad Solem exorientem & ad Septentrionem fruitur aſpectu, eodemque ſalubritatis beneficio; Unus Colliculus Monbauronius, importunâ viciniâ, ſalutares iſtos Solis naſcentis radios commorari, aëriſque puritati atque illuſtrationi, non tolerandâ ſuperbiâ, obſiſtere par erat. At qualis eſt Regis ſapientiſſimi ſolertia & quantum civium ſervandorum ſtudium, illum velut læſæ valetudinis reum amputandum & capite minuendum eſſe decrevit, ſic ut quò ipſe majori aëris libertate uteretur & quò cives ſalubrius degerent, nec montibus ipſis parcendum ſibi eſſe exiſtimaverit.

URBIS ſalubritas non ſolùm ex aëris, ſed etiam ex aquarum & ſoli conditionibus æſtimanda: quantum aquæ conferant ad vitam meliorem Thales Mileſius in dubium non revocaſſet, qui aquam rerum omnium eſſe materiam, non omnino malè, pronuntiavit. Qui fontes & flumina mammas terræ appellaverunt, quantum ab aquis ſit commodi eleganti locutione docuerunt; inter eas potabilis primum obtinere locum ſuo merito debet, quæ ubi nullo guſtu gravis, limpida, tenuis & levis eſt, miras ad bonam valetudinem vires obtinet. Quæ dura, lutulenta & ſaporis ingrati damna in dies non pauca bibentibus infert. Ubi de ſuo fundo laudabiles aquas urbs ſufficit, beata fontibus ad Orientem ſitis; vel ubi flumine aliquo bene potabili alluitur, velut urbs Pariſiorum ſuo Sequanâ, melius multo agitur cum incolis: τὰ ἐπακτὰ ὕδατα, aquas advectitias etſi minus laudabiles improbare apud Verſalias non licet, cùm ex proximo fontes ſint, qui ſui liquoris probitate eam, quæ in urbe eſt, aquarum potabilium penuriam, belle rependant; Has primùm per tubulos plumbeos, mox ad majorem incolarum ſalubritatem per ferreas exagogas & per aquæ ductus lapideos adducendas curavit Rex optimus, publicis fontibus ſealendis; multas ex rhedis aut ex equis clitellariis quaque die advehendas voluit, hauriendas ex proximo & ſalutari fonte Villadavrenſi, optimas ex pago Ruellienſi, non inferiores ex non longè diſſito fluvio ſequanâ quiſque ſibi ex arbitrio comparare poteſt, quò ſanitas foveatur. publicas duritatis cujuſdam accuſatas ſi exploraveris, illis aquæ non illaudabilis dotibus exinde donatas eſſe comperies, quod nec calculum, nec diarrhæam, nec dyſenteriam, nec herniam, nec alias quibuſque bibentibus noxas inducant, quæ ſolemnes ſunt ab aquarum pravitate.

AQUÆ potabiles, ſi in ipſo Verſaliarum ſinu non naſcuntur ſed aliunde accedunt, cave ne exinde urbem inſalubritatis inſimules, quod ibi ſolùm ſiccum & aridum eſſe oporteat, ubi aquæ deſiderantur, omneſque morbi ſint expectandi quos nimia ſiccitas parit, aut nimius concitat æſtus: ejus eſt ſortis ſolum Verſaliarum, ut quamvis aquas benè potabiles non profundat, non tamen ſit ἄνυδρον : fæmineum & pallidum ſabulum, quod fere ubique fodiendo reperitur, proferendis ſalutaribus aquis minus eſt conveniens, quam maſculum & ſubrubrum, omnium proinde non eſt expers, cum plurimas habeat ſive arte in viridariis, ſeu natura in ipſo loco, quarum ope aeris fervor & ſiccitas poſſit emendari : aquarum copiam in viridariis nullus ſatis commemoraverit, diceres ex ipſius ſoli viſceribus erumpere, quæ ex longinquo miris artibus adveniunt; ſine arte ad ſeptentrionem lacus eſt inſignis magnitudinis; is cum fontium non paucas in ſe habeat ſcaturigines, undam profert non ſtagnantem, non paludoſam, & tetra Mephiti noxiam, ſed errantem & in perpetuo motu poſitam, quæ ſi incolis ad potum non cedit, jumentis eſt innoxia; accedunt ad meridiem ex circumpoſitis monticulis deciduæ in camporum planitiem aquæ non paucæ, quæ paludoſam aliàs & inſalubrem veteris pagi funditus deleti incolis habitationem facere poterant, ſed quæ jam aquæ ductibus ſubterraneis exceptæ aut ad loci amænitatem, in capaciſſimos alveos collectæ, multum utilitatis, jucunditatis non minus afferre queant; nam quæ hîc uda erant aliàs, paludoſa & nimio aquæ putrentis pædore inſalubria loca, jam Regis beneficio maxima ex parte reſiccata, & in deſtinatas domos abitura, multam aeris corruptelæ occaſionem præripiunt velut plurima per artem in viridariis aquarum copia ejus fervori & ſiccitati inimicatur.

MAGNUM ſanæ civitatis idque certiſſimum argumentum eſt incolarum bona valetudo; olim ex vernaculorum animantium extis de loci ſalubritate certum capiebatur indicium, certius ex bona incolarum valetudine deſumendum; nulli ſunt apud Verſalias morbi endemii, nulli epidemii, non febres tertianæ, ardentes, malignæ; non ſapientiæ morbi, non ſplenes magni & ſchirroſi, non cachexia; non ſcorbutus veteribus notus, non hyderus, non phtiſis, qui affectus ad aeris fervorem & corruptelam vel ad aquarum & ſoli pravitatem ſolent eſſe conſectarii, frequentius ibi ſe offerunt Medicorum diligentiæ. Incolarum ſi robur, ſi εὐχροίαν & εὐεξίαν ſpectes, omnia ſanitatem loquentur. Aliàs dum ad ſuperbi adeo palatii, ad urbis ipſius ſtructuram ſolum ubique vertebatur, cum artificum σχοεσδαλῶν & ſordidorum hominum multitudine locus erat refertus, cum nondum de aquis ſalutaribus adducendis Regis providentia cogitaverat, cum plurimus circum campus paludoſus eſſet & fœtore gravis, cum rerum omnium ad alenda reficiendaque corpora conducibilium, ea quæ jam eſt, ibi non adeſſet annona; ſuum Libitina exercere potuit imperium & urbis inſalubris futuræ ſuſpicionem movere; nunc autem ſumma ſapientiſſimi Regis beneficentiâ res eò ſunt deductæ, & acceſſione aquæ fontis Villadavrenſis quæ in procinctu eſt atque tranſmiſſione fluvii Eburæ quam meditatur ad melius ita in dies deducentur, ut ſalubriter apud Verſalias ad ſenium uſque degere quiſque poſſit, qui ſui curam habere atque omnes in vivendi ratione errores, morborum parentes bona fide voluerit ejurare.

Ergo Vrbs Regia Verſaliarum ſalubris.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS VARIN, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1685.